



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 20. Quomodo ipsi Dominus exhibuerit spectandas omnes stationes
suæ Passionis, usque ad Ascensionem in Cœlos, & quandam pompam
celebratam in honorem suorum vulnerum, instar triumphi donec ad ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

CAPVT XX.

Quomodo ipsi Dominus exhibuerit spectandas omnes stationes suæ Passionis, usque ad Ascensionem in cœlos, & quandam pompam celebratam in honorem suorum vulnerum, instar triumphii, donec ad dexteram Patris confideret.

§. I.

DUm graviter ægrotarem in Majo anni 1618. invasit me desiderium obeundi, si possem, stationes mysteriorum Passionis, quæ evenerunt, quando Christus Dominus bajulavit suam crucem. Mei Domini Angeli mihi dixerunt: si vis, Soror, obire has stationes, nos te ducemus. Respondi: me nolle aliud, quàm quod vellet DEUS. Post aliquot deinde horas dixerunt: Veni, Soror, nobiscum; abreptamque me in spiritu duxerunt quasi valde procul, & constituerunt ad portam cujusdam magni palatij, unde excurrerebat via lata & longa, quæ usque ad medietatem veluti modicè declinabat deorsum, inde vero ulterius quasi ascēdebat sursum. Dum essem in atrio, dixerunt mihi Angeli: Iste est locus, in quo Dominus impoluit crucem humeris, iturus ad montem Calvarie. Statim me prostravi, & Angeli, aliique ibidem præsentés flexerunt genua: ego verò cum lachrymis, & tenerimis affectibus dicebam: Adoro te, benedicta terra, ubi meus Dominus JESUS Christus fixit pedes, seque oneravit cruce, & alia hujusmodi verba. Deinde me duxerunt per illam viam, & post certum spatium dixerunt: Hic Dominus procidit in genua, cum cruce. Prostravi me cum lachrymis & affectibus, dissuaviando illam terram, sicur prius. Post aliud intervallum dixerunt: Hic prodijt illa pia mulier, quæ ipsi obtulit linteum, pro abstergendo sudore sui vultus. Post aliud intervallum inquit: Hic Dominus vehementer fuit afflictus, & deficiebat ita, ut, si ipsum non

juvisset Divinitas, non potuisset ulterius progredi. Subitò procubui, quemadmodum omnibus reliquis vicibus, fuitque tenerius commota. Exinde post aliud ingens spatium ajebant: Hic illum exuerunt vestibus cum magna furia, & extenderunt in terra supra crucem, in eaque clavis confixerunt; ubi similiter me prostravi vehementer dolendo, & plorando. Non longè verò indè dixerunt: Hic elevaverunt crucem. In isto loco mansi prostrata, petens à Domino quasdam gratias, & specialiter id, quod tunc magnopere desiderabam; erat autem, *ut declamaretur mysterium purissima Conceptionis Domina Nostra.*

Peractis his septem stationibus, me reducebant Angeli per quandam suavissimam & amœnissimam viam; quod me sublevavit à præterita molestia, cumque per illam progrededer, vocavit me Dominus dicendo: Marina. Respondi: Domine. Et vidi illum clarissime, ibamque, ut me prosternerem ad ejus pedes, dixit autem mihi: Subsiste, cum spectaveris meas angustias, volo ut spectes quoque meam gloriam. Hoc dicto se elevavit in altum, & circumdatus pulchrâ nube, incepit se transfigurare, & comparere pulcherrimus, ac millecuplo splendidior Sole: deinde cœpit ascendere ad cœlum, & advertēbam ipsum ascendere suâ propria virtute, ideòque clamabam, nè me hic relinqueret, sed duceret secum. Tum me Angeli duxerunt ad cœlum, ubi conspexi inservientes Christo Domino millones Angelorum, cum summo honore & gloria, ac deinde vidi, quomodo adiverit Æternū Patrem, qui ipsum suscepit cum extraordinario amore, & collocavit ad dexteram suam, deditque illi sceptrum, quod representabat potestatem

universalem super omnes creaturas. Videbam id cum magno solatio, usque dum redirem ex raptu.

§. II.

Quodam die Hebdomada sancta, anno 1613. audivi Divinissimam musicam, quæ resonabat in meis auribus cum magna suavitate, & consolatione. Vehementer fui attonita, quod Sacra Hebdomada, dum sancta Ecclesia est occupata decantanda adeo dolenter Passione Divini Agni, mortui in cruce pro salute mundi, tam suavis esset in cælo musica, quamvis illa, quam audiebam, fuerit simul lugubris. Applicui me ad eam aliquamdiu auscultandam quam attentissime, & vidi pulcherrimum magnæque majestatis Angelum, sedentem in throno, tenentem instrumentum musicum, quo adhibito canebat suavissime, alij verò multi Angeli ibidem adstantes, ipsi divine respondebant: atque dum illos auscultarem, vidi se moventes plurimos Beatos Spiritus illius cælestis Jerosolymæ, qui ordine procedentes, instar bene dispositæ & solennissimæ supplicationis, inceperunt quasi obire in gyrum illâ cælestem civitatem cum canticis & instrumentis musicis, quæ suavissime resonabant intermixtâ lamentatione, & luctuoso affectu.

Dum melius aspicerem, vidi apud portam ampli cujusdam & elegantis castelli, quod erat magnæ majestatis, stantem Christum Dominum ad dexteram Æterni sui Patris, indutum vestitu Regio, elegantissimo & pretiosissimo, cujus color significabat gaudium & læticiam mixtam tristi affectui, dolori & afflictioni. In suo capite habebat coronam regiam speciosissimam ac divinam, inque sacris ipsius pedibus & manibus, ac latere, apparebant manifeste signa vulnerum pulcherrima & splendidissima. Videndo omnia ista mirabilia, concepi interdum desiderium intelligendi hæc tam admiranda mysteria, quæ peragebantur in ea Civitate DEI, & conversa ad quosdam sanctos Angelos, qui ibi aderant, interrogavi illos, ac petivi quàm reveren-

tissime, ut mihi dicerent in nomine DEI, qualenam esset Festum illud adeo solemne, in quo cantarentur hymni, & jucunde laudes, unâ cum hæc lamentationibus. Illi mihi dixerunt: Soror nostra, noveris celebrari Festum in hac cælesti Jerosolyma, ubi vidisti, in honorem sacratissimum vulnerum Christi JESU Domini nostri, illius Divini Agni, qui tollit peccata mundi, illius humilis & amantissimi Domini, qui non aperuit os suum coram his, qui maledicebant, accusabant, & male tractabant illum Dominum ac Regem nostrum, qui pendens in Cruce inter latrones, oravit Æternum Patrem pro suis crucifixoribus; illum, qui propterea quod sit Filius DEI vivi, æqualis suo Patri, & propter sua altissima merita fuit constitutus Rex gentium, & Dominus omnium creaturarum. Istud est, Soror, Festum, quod ex mandato Æterni Patris peragitur hodie in hac Aula cælesti, quemadmodum vidisti. Hoc auditò eum ingenti meo solatio, denuò defixi oculos, ut antea feceram, in Majestate Christi JESU Domini nostri, & vidi ipsum admirabiliter, jussu Patris sui, post acceptam ipsius benedictionem, confedisse in quodam augusto throno, referente speciem currus triumphalis, magnæ majestatis, ac magnificentiæ. Is incipiebat moveri, & videbatur trahi à quatuor sanctis candidissimis ac purissimis animalibus, quibus immixti unâ ibant multi Angeli DEI. Atque licet hæc sancta animalia moverint ac traxerint mysticum currum, quo vehebatur magnus ille Rex gentium, regebat illum tamen idem Rex Majestatis, suis illum premens pedibus, & movebant ipsum ac trahebant virtute ab eo acceptâ. Hunc in modum processit iste Dominus, comitantibus ipsum ritu supplicantiis, laudantibusque illum, & interservientibus ei omnibus illis spiritibus beatis, ac Palatinis cælestibus, donec revertetur ad locum, in quo prius fuerat ad dexteram sui Æterni Patris. Inspiravit mihi Dominus aliud internum desiderium, referendi, qualia essent ea sancta animalia, quæ trahebant illum currum, seu thronum, & subito mihi fuit dictum per lumen &

communicationem Divinam: Hæc sancta & mystica animalia, quæ vidisti, sunt quatuor sancti Evangelistæ, qui describendo, assistente ipsis virtute Spiritus sancti, Passionem & mortem Divini Agni, promeruerunt tantum honorem, tamque sublimem dignitatem, ut ipse DEI Filius per illos vellet manifestari populis, utque illi essent calamus & lingua ipsius Mysteriorum ac Magnalium, propter quæ adoraretur, honoraretur, crederetur & coleretur ab om-

nibus fidelibus, qui sunt, & erunt in mundo, ut sic videantur Regem Majestatis ferre in suis humeris, quo manifestetur, & agnoscat a populis: Verumtamen idem Rex est author, & prima ac principalis causa hujus illuminationis & agnitionis, quam habet mundus. Intellectus his admirandis mysterijs, fui repleta stupore ac solatio, mihi que quodammodo crepta, & quando redij, gratias egi DEO pro omnibus ipsius operibus ac miserationibus. qd

CAPVT XXI.

De adventu Sancti Spiritus super Apostolos, deque ejus Aeterna Processione, ac de eximijs bonis, quæ communicat justis, & communicavit illi, de novo ipsam suscipiendo in suam.

IN Festis Pentecostalibus, quibus celebratur Adventus Spiritus Sancti super Apostolos, præstitit illi idem Divinus Spiritus speciales gratias, revelando ipsi unum mysterium Trinitatis, sine quo ille non potest integrè cognosci.

§. I.

Hoc die, inquit, intellexi, etiam in celesti Jerosolyma agi maximum festum singulari lætitiâ, propterea quod Spiritus sanctus se communicaverit tanta cum gratiæ abundantia Apostolis, & exinde omnibus fidelibus, qui se disponunt ad suscipienda ipsius munera, dum se illis donat, cum adeo immensa charitate, & ardenti amore. Vidi ab hac Divina Persona, & ab ipsius infinita virtute, prodeuntes ac descendentes quosdam Divinos radios, qui accendebant, inflammabant, & clarificabant animas, iisque conferebant vitam gratiæ, quod advertens dicebam ad DEUM: Mi Domine, & Dilecte animæ meæ, ego vellem, essetque summum meum solatium, ut multa essent festa hujus tui sanctissimi Spiritus. Divina verò Majestas mi-

hi respondit: sunt utiq; multa, quia semper descendit, & exiit iste sanctus meus Spiritus in animabus, in quibus habitat per gratiam, ac proinde pro illis semper est festum sancti Spiritus.

Modum, quo id fiat, mihi manifestavit Dominus quadam die horum festorum, anno 1614. Vidi quomodo aperti fuerint cœli, descenderintque millem Angeli, ac Majestas DEI Domini nostri in pulcherrimo throno, qui appropinquando terræ, quasi concutiens suas alas, emittebat ex se, instar grandinis, innumerabilem copiam & varietatem pretiosorum lapidum, significantium gratias ac dona, quæ communicat justis. Apprehenderunt me Angeli, & collocaverunt ibi subtus, ut colligerem aliqua ex illis pretiosis cimelijs, & quia tunc recordabar meorum benefactorum, ac aliorum in gravibus constitutorum necessitatibus, qui se mihi commendaverant, dicebam cum magno fervore ad DEUM: *Ibi, Domine, ibi;* designatis locis, in quibus intelligebam morari tales personas, & speciatim unam, quæ se exhibebat valde rebellem Divinæ inspirationi. Dicebam, autem tam instanter: *ibi, ibi,* ut Angelus meus Custos dixerit: Paulatim, Soror, attende, quid dicas. Sed Dominus illi di-